



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Bidermani E Soc. Iesv Ignativs Sive De Vita Et
Gloria S. Ignatii Loiolæ Soc. Iesv Conditoris Libri Tres**

Bidermann, Jakob

Antuerpiae, 1635

Per Hispanias. Cap. V.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10788217-5

tiâ post horâ sic omnino valescere, vt morbi prioris indicium in corpore toto nullum porrò vîquam appareret.

IGNATII *miracula per Hispanias edita.* CAP. V.

38. CETERVM quæ per terras Hispanias eo tempore patrata sunt miracula, hæc fermè accepimus. Toleti sub annum M. D. LXX. aut LXXI. (nam id incertum habeo) Vegam, hoc nomine mulierẽ, atrox adorta pleuritis, paulò ante noctis crepusculum deiecit. Medici acciti, repentino & vehementi malo terrentur; reque perpensâ, feuerè pronuntiant. Iubent eâ ipsâ nocte Sacris animum procurare, ac testamentum condere: nam die postero haud victuram. Adest fortè, auditque decretorium consultum, vir honesti nominis, Ioannes Messa: qui DEVM ritè precatus, applicat compuncto lateri modicam telæ tramam de vittâ IGNATII noctur-

nocturnâ; itemque corium, quod ille pectori consuerat prætexere; quippe vtrumque spolium Ioannes religionis causâ circumferebat. Et certè ab eo consilio ita victus est dolor, vt erecta mulier, & seriò in Ioannem intenta, sciscitaretur, ecquid ille fecerit, quo tam facilè omnem à se morbum depulisset.

39. Francisca deinde Bernua, haud vulgari virtute virgo, & solitudinis apprimè retinens, Burgis in S. Dorotheæ asceterio Religionem professa, cum à pleuritide calculoque malè habita, ancipiti periculo teneretur, ad IGNATII denique asylum refugit. Inde res accidit memorabilis, vt toto anno lapides amplius centum, cum modicos tum maiusculos, propè sine vllius doloris sensu, deiecerit.

40. Huic eidem, sub annum M. D. XCIII. postquam sanguinem inhibere ars nequijt, quem rupta pectoris vena per os egerebat: venit in mentem, admouere

laciniam de talari centone; eo ipso, quem supra demonstrauius **IGNATIVM** induisse initio mutatae vitae. Imponit hoc malagma aegro pectori. Nec mora, & velut obice fixo, coercetur impotens cruor, venaeque suae patiens quieuit.

41. Propè aberat, ut Ioannam Gangoram virginē à morbis miserè deformatam Romanus Pontifex legibus eximeret; dum Cœnobium egressa, valetudinem instauraret. Quae tamen prius ad **IGNATII** imaginem procubuit, corporisque affecti curam ei commendauit. Plus sensit impetrasse, quàm orauerat. Nam perfanato iam tum corpore, egressu praeterea virgo non eguit; neque ipsa porro, ut legibus solueretur, permisit.

42. Maria quaedam Auala, legibus S. Francisci auctorata, ærumnis animi grauius angebatur. Quae edocta opem **IGNATII** poscere, si malo inuenire medicum vellet, assensit. Iamque in preces quidem effusa, sed nominis oblita, Tuam, inquit,

inquit, opem, Athanasi, precem-
 que aduoco: tu hanc animi per-
 turbationem, quâ misera interne-
 cor, compone. Sub ea precantis
 verba, vox aliunde accidit, eum
 non *Athanasium*, sed verò IGNA-
 TIVM vocari. Interim ne dubitet,
 quin eo patrono sit ad cupitam
 quietem reditura. Nec dictum li-
 quidiùs, quàm factum: & suam
 virgo tranquillitatem est adepta.

43. Erat homo Belga, Ruffinus
 Lanzarottus, qui pestilèter febrie-
 bat. In eo periculo ægrum omnis
 Medicorum ars operaque deserue-
 re. Sed enim porrecto IGNATII
 autographo, salus ad desperatum
 redijt, & subsequuta est sanitas.
 Quare de lectulo surgit Ruffinus,
 & Medicis oppidò admirantibus
 reuiuiscit.

44. Alium quoque & Burgen-
 ses Medici, quiq̃ Vallisoletto
 acciti venire, deposuerant. Lope-
 sius Castrius is erat, & Leonoram
 Gallam, virginum ibidem Antisti-
 tam, propinquitate sanguinis con-
 tinge-

tingebat. Enim verò postea quàm ille decreuit, in IGNATII fidem tutelamque concedere, & aliquid stipis in pauperes erogare: in fidem acceptus, omnem à se morbi insolentiam ablegauit.

45. Burgis Franciscus Ortizius Sacerdos, ab exuberante genuum & articulorum humore grauius ægrotabat, iamque ipsum quinquennium acerbis doloribus exercitus, postremò ad IGNATII tutelam confugit, nec vllum ab eò die mali vestigium aduertit.

46. Iam de familiâ sancti Augustini Sacerdos, cum per agrum fortè Burgensem pestilens lues inuasisset, charitate inductus, ægris sese emanciparat, vt cæleste Viaticum decessuris ministraret, & opem animis supremã afferret. Sed pridie Idus Nouemb. anni M. D. XCIX. euenerat, vt ad virginẽ quamdam inuiseret, natã annos circiter duos & viginti. Huic febris ac pestilentia hostiliter insultabant. Igitur hortatus Sacerdos, IGNATIO se
suique

fuique curam permetteret, imponit eiusdem icona supra pectus decumbentis. Quo vno subsidio depulsum vulgatæ luis venenum est, & Virgo intra horæ spatia, saluam se postliminiò vidit.

47. Atque vt de pluribus in compendio referam, Burgis, postquam grassanti pestilentia humana remedia defuere, complures memorat Franciscus Ortizius loci Curio, hac nimirum arte conuulisse, vt vndâ, quæ IGNATIANNOS cineres abluisset, cum precibus hausta, integrè restituerentur. Eamque famam liquidò per consciam urbem increbuisse.

48. Idem sibi Sanctius Cantabranensis, idem Abelus à Turri, vterque diuersis in locis Curiones, euenisse contestantur, cum pestilenti contagione tenerentur, eandem sibi aquam pro medicamento fuisse. Et horum quidem posteriori adeò præsentem inde medellam venisse, vt eodem temporis puncto & laticem æger hauserit,
&

& ægritudinem à se propulsarit.

49. Madriti Pater quidam erat Michaël Garfes, summa Societatis vota professus. Hic dextrum oculum vehemēti catarrho obsessum, vsq; cō perdolebat, vt nullum neque in sanguinis deductione neque alijs Medicorum inceptis leuamentum caperet: potius ingrauescere idem dōlor visus, & necessariam corpori quietem recusare. Nouissimē ad vesperū quinti Idus Septembres M. D. XCVI. vt acutissimo cruciatu pænē exanimatum Bartholomæus Peres vidit; miseratus hominem, S. I G N A T I I syngrapham ei attulit; quidque aliud fieri vellet, edixit. Michaël promptē in genua se submittit, applicatque oculo autographum, vbi dolor vt maximē sæuebat. Sed enim is repentē omnis discessit. Igitur cubitum abit, placideque in somno acquiescit, manē integer ad prouinciam rediturus. Admirantur Collegam familiares, cum oculo prodire iam sana-

to, quem pridie affectum & liuido
cruore suffusum conspexissent.

50. Tredecennis puella, Fran-
cisca Vignola, cum annum ferme
dolorem, sed eum admodum acu-
tum in tibiâ pertulisset, inde clau-
dicare, ac ne sic quidem moliri se,
sine graui molestiâ quibat. Ea sub
annum sæcularem, ipsis Ianuarijs
Kalend. ibat, vt Sacris interesset:
habitura hunc celeberrimo diei ho-
norem; etsi cum haud exiguo la-
bore. Sed ambulationis iuxtâ ac
frigoris impatiens, inter æstû cre-
scentis doloris, domum redierat.
Ibi mater eam tutelæ IGNATII
piè traditam, syngraphâ, quam se-
pè diximus, lustrat. Illa subito va-
lere, seque omni molestiâ solutam
esse comperit; cœpitque haud se-
cûs promptè ambulare, quàm si
numquam ante id hac laborasset.
Id pater professione Medicus, ce-
teri que miraculum conclamant.
Et puella cum matre ad gratias
IGNATIO soluendas postridie
accurrit, inque templo cerei ana-
thema-

thematis monumentum ponit.

§ 1. In eadem prouinciâ (Gaudiam nominant) Iosepha Borgia quantos maximos dolores perpetiebatur, qui genu alterum infectum habebât, vt ægrè iam moueretur. Huic desperatis naturæ subsidijs, in mentem venit, IGNATIVM vocare: cuius honori stas preculas quotidie numeraret. Vix triduum fecerat, cùm nox insequens grauius adhuc dolentem consopijt. Tum in quiete vidit beatum ad se IGNATIVM accedere, hilariq̃ue & serenâ fronte valetudinem polliceri, iniectâ denique manu omnes morbi reliquias abstergere. Experrecta femina, prius valere se propemodum sensit, quàm valituram esse sperarat: rectaque ad nostram ædem progressa, cereum sigillum ad rei testandæ memoriam adiecit.

§ 2. Sed adhuc illustrius ibi facinus factum. Iosepham Castellam, annorum XL. virginem, morbus comitalis obnoxiam trahebat: iamq̃ue

iamque omnem eius valetudinem
 sic attriuerat, vt mentis impotem,
 seseque crudeliter laniantem, vix
 multi etiam inhiherent. Tum au-
 tem, vbi æstus morbi concitior
 aliquando remisisset, intolerabiles
 cruciatus cor opprimebant; & ipsa
 toto corpore fracta contusaque, re-
 liquo ac postero die, non agere
 aliud, ac ne mouere quidem se po-
 terat; merum funus. Cognoscit
 interim Iosepha de miris IGNA-
 TII viribus; & noctu, cum reci-
 procante morbo vehementius for-
 tẽ, quàm solito, concuteretur, vbi
 ad se nonnihil redijt, capit consi-
 lium, opis eius implorandæ. Ita
 precibus, cum illis quas CHRIS-
 TVS tradidit, tum quibus virgi-
 nem Angelus salutauit, vix quin-
 tum peractis, nullũ temporis pun-
 ctum intercessit, & iam conualuisse
 femina, neque se vllis prioris fortu-
 nę incommodis obnoxiam esse de-
 prehendit. Quare & pernoctare in
 somno cœpit, quod aliàs per mor-
 bum non licuerat, & diluculo sur-
 gere,

N

gere,

gere, admirante familiâ; cui, quas res ageret, percontanti, valetudinem IGNATIO se acceptam referre clamavit. Cùm verò octauum inde decimùmve diem, colicus ei dolor propè fatalem effecisset; virgo eodem Cælite pro Medico vfa, repentè omnem coli rabiem extinxit. Duas ea propter statuas decerâ fictas in templo destituit: quibus, quod sibi acciderat, apud alios de IGNATIO testaretur.

52. Hæc eadem provincia puellam septennem alebat, quæ febribus & tumente anginâ pertinaciter vexata, quòd biduum binoctiumque nullam quietem sperare, neque verò liquoris guttam sorbere ullam posset, parentes eò iam tendere incipiebant qui filiam sepelirent verius, quàm sanarent. Sed cõspexerat eius amita fortè IGNATIANAM tabulam, quæ tunc parenti (lignariam is factitabat) afferebatur, vt subscudibus eam regulisq̃ue fabrè includeret. Hanc capiti puellæ admouet, spei plena;
 itidem

itidem iubet puellam vouere, si intra quartam horam valesceret, tum se IGNATIO nouemdiuales preces facturam. Vix secum constituerat, cum matrem arcessit puella, clamatque IGNATII beneficio se valere. Inde quam primum edere, atque in morem cuiusque alius bibere perrexit. Postridie cum amitam ad Collegium properat, gratias Medico actura. Vbi utraque votum soluere auspicata, imaginem ceream posuerunt.

53. Barcinone, Isabella Rebel-
la, quæ Virginibus accensa, vitam
in S. Francisci tutelam degebat, ex
gravi casu costam ruperat: mox in-
didem & crus intumescere, & quod
ferè fit, febris cœpit inuadere. Ex-
plorata nequidquam sunt omnia,
& in quærendis remedijs ars om-
nis naturaque deficiebat: interea
crescere dolores, & ægra paula-
tim conclamari: sed apportata de
IGNATIO Reliquiæ; ruptas cor-
poris partes commodum tetigere,
cum ossa continuo coaluere, tam

196 S. IGNATII VITA.
solidè quidem, vt Isabella mox
erecta vestierit se ipsa, & sine cu-
iusquam adminiculo per ædes so-
spes gestiensque obambularit.

IGNATII *miracula in Balearibus*
facta. CAP. VI.

54. **I**NSVLA est Balearica, cui
Inos Maiori nomen dedimus:
ibi sub annum M. D. XCVII. mi-
ra feruntur non ambiguis testibus
perpetrata. Ioanna Clara cogno-
mento Nognera, primæ virtutis
vidua, oculis sensim ambobus de-
fluentibus mœrebat: ac dextero
prius, mox & sinistro amissis, quid
porro ageret, nesciebat. Placuit
nouissimè syngrapham IGNATII
poscere, eamque super oculos, iam
non oculos, deponere. Opportu-
num, feminae consilium. Nam eo
facto arcentur breuî tenebræ, &
oculis dies, quam amiserant, red-
ditur. Cœpitque illa postridie opus
facere, aciemque fixam soli obuer-
tere, tam constanter & intrepidè,
vt nusquam hallucinaretur.

55. La-